

Vg  
5310



Vg  
5310

*Viro incomparabili*

D. MARTINO  
LUTHERO, IN IN-  
clytâ VVitebergenf: Aca-  
demiâ Anno M. D. XCVI.

3. Id. Novembris:

*publicè parentabat*

M. MARTINUS HIL-  
uuigius, Boleslaviensis  
Silesius.



VVITEBERGÆ,

Excudebat VVolfgang: Meißnerus,  
Anno M. D. XCIX.

Ex dono possidet  
hanc librum  
Regis. D. Carolus  
II: & D. de Wi-  
bi vni  
Christianus  
Kler, pastor  
in Stward  
enf. 69.  
Super  
et  
B 102 69



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



G  
ta  
m  
G  
& n  
te p  
ne  
tiq  
bis  
Do  
ad  
die  
ad  
nos  
fiti



*Viro Iuveni*

**G E N E R I S N O B I L I**  
*tate, virtute, doctrinâ & Hu-*  
*manitate nobilissimo, ALEXAN-*  
**D R O à B O T H M A R, Fau-**  
*tori & amico suo officio-*  
*sissimè colendo,*

**S.**

**S**apienter meherclè  
prudentissimus vitæ civilis  
morumq; Magister, Seneca,  
de liberis, amicis, honorib9  
& reliquis, quæ ex incertâ & mobili for-  
te pendent, bonis Martiam in consolatio-  
ne suâ monet, quod alieni accommoda-  
tiq; apparatus sint, quod nihil eorum no-  
bis dono detur, sed collaticijs quasi & ad  
Dominum redituris instrumentis Scena  
adornetur: Alia ex his, inquit, primo  
die, alia secundo referentur, pauca usq;  
ad finem perseverabunt. Ita non est quod  
nos suspiciamus, tanquã inter nostra po-  
siti, mutuo accepimus. **Vsus fructus no-**

**A a ster**

## DEDICATIO.

ster est. Nos oportet in promptu habere, quæ in certum diem data sunt, & appellatos sine querelâ reddere. Pessimi est debitoris, creditori facere convicium. Omnes ergo nostros sic amare debemus, tanquam nihil nobis de perpetuitate, imo nihil de diuturnitate eorum promissum sit. Sæpe admonendus est animus, ut quicquid à fortunâ datum est, tanquam extemplo abiturū possideat. Hanc gravissimam prudentissimi Ethnicorum sententiam ut in præsentia mihi ad animum revocarem, Vir Nobilissime & amicissime, fecit rerum mearū facies & conditio, quæ memoratæ haud absimilis est, dum aliquot eorum, quos ad amoris & familiaritatis usum fructū fors mihi accommodavit, à me repetuntur, & ex huius Academiae scena vel ad suos referuntur, vel alijs mutuò dantur. Primus adhuc uertitur annus, quo Tuo, Vir Nobilissime, favore, aliorumq. in Lunæburgensium solo natorum necessitudine & amore fruor. Iunxerat Vos mihi Sororis meæ in Inclytam vestram patriam abitio, & honestissima Reuerendi Affinis mei, M. Christophori Zecheri, quâ apud Illustrissimum & Generosum D. N. CONRADUM à BOTHMAR, Abbatem Cænobij  
ad

D E D I C A T I O.

ad D. Michaëlem Reverendissimum, fun-  
 gitur, statio. Gaudebam antehac, & mi-  
 re mihi gratulabar, cum viderem non so-  
 lum meos apud Lunæburgenses magni fi-  
 eri, & amicissimè tractari, sed & me ipsum  
 à Vobis haud parum adamari. Nam ut  
 taceam, quàm liberaliter & humaniter  
 me Vestri (cum ad eos Affinem Sororem-  
 que comitarer) exceperint, illud solum  
 nunc asseram, nullum penè esse humani-  
 tatis & amicitiae officium, quo mihi non  
 amorem vestrum testati sitis, dum vel eos-  
 dem mecū inhabitastis parietes, vel com-  
 munia pertractastis studia, vel quoties à  
 studijs fessi fuistis animum colloquijs,  
 corpus exercitatione mecum refecistis.  
 Sed uti fit in bonis, ut parum de aduersis  
 cogitemus, sic & ego toto hoc tempore  
 perpetuum, vel certè diuturniorem, amo-  
 ris vestri usum mihi pollicitus sum, nec  
 quicquam de humanae fortis mobilitate  
 cogitavi, usque dum eadem me vos sibi  
 reddere coëgit. Repetijt mobilis ille  
 creditor non ita pridem Tuæ N. strenu-  
 um studiorum parastaten, *Eustatium Dede-*  
*ken*, Virum mihi amicissimum: Hodie Te  
 quoque, vir Nobilissime, ex meo com-  
 plexu idem rapit; paulò post & alios a-

## DEDICATIO.

vocaturus. Quare iam demum animad-  
 verto, omnium rerum esse rapinam, etiam  
 amicorum, & nos inter aliena atq; mutuo  
 data positos esse. Vera te & nimium ve-  
 ra, ô Seneca, Philosophæ disertissime, pro-  
 nunciastis fateor. Verum de his, quæ sub-  
 iicis, non eadem mihi tecum mens est.  
*Debere nos, inquis, amicos sine querela reddere,*  
*nec creditori convicium facere.* Hoc tibi inter  
 Stoicos nutrito fortè facile erit, quando  
 & vitam sine querela omni tempore red-  
 dendam esse censetis: Ast mihi idem dif-  
 ficilimum, qui virum bonum non ἀναίδου-  
 Τον aut omni motu vacuum esse cum Ly-  
 ceo statuo. Ecce enim omnem sensum  
 exueret, quem natura haud frustra nobis  
 inesse creditur? Et quomodo aliquid  
 in bonorum esse numero crederet, si idem  
 sine querela, sine omni motu amitteret?  
 Profecto parùm is mihi videtur fecisse  
 amicum, qui cum longius discedentem  
 sereno vultu prosequitur, nec de fortunæ  
 varietate in illo discidio conqueritur.  
 Rectius Socratem pronunciasse censeo,  
 quod (cum nulla sit possessio pretiosior  
 vero bonoq; amico, nec aliunde plus fru-  
 ctus aut voluptatis capiatur,) non gravi-  
 us pecuniæ dispendium quàm amici ia-  
ctura



DEDICATIO.

Cura ferri debeat. Brutus, vir ipsi Cato-  
 ni admirandus, sine Marcello Romam  
 redire doluit, cum hunc Mitylenis exula-  
 re, & exilij tædia literarum studijs fallere  
 vidisset. Nec urbium populorumq; ille  
 gnarissimus, Vlysses, sine querela è suo-  
 rum complexu ad Troiam abiit. Quid  
 fortem memorem Achillem, reliquosq;  
 Achivos intrepidus, quos ob ereptum  
 sibi Patroclum luctu suo arma & are-  
 nas madefecisse Homerus refert. Et vix  
 videas ullum amicorum par sine alter-  
 utrius mærore vel gemitu à se invicem  
 discedere. Quæ cum ita sint, Tuum quo-  
 que, Nobiliss: & amicissime ALEXANDER,  
 discessum ego sine querela ferre non pos-  
 sum, sed meritò eundem lugeo; & eo qui-  
 dem magis, quò breviorum T. N. usum  
 fors mihi concessit, quòq; rarius Te ha-  
 ctenus compellare ausus sum: (Id quod  
 non Tuâ culpâ, nedum difficultate mo-  
 rum, sed meo nimio rubore, addo & oc-  
 cupationibus factum est. Nunc demum  
 experior, utendum esse amicis dum fieri  
 potest, cum incertum sit quàm diu id fieri  
 queat. Sed adversum hæc illud animum  
 meum erigit, verum amorem hoc quidem  
 admittere, ut locis seiungantur amantes,

## D E D I C A T I O .

sed animorum distractionem neutiquam  
 ferre. Hinc N. Tuæ raptum insperatum  
 minus dolendum mihi esse censeo, cum  
 animi Tui integritas & nobilis candor  
 mihi perpetuū amorem & favorem haud  
 dubiè pelliceatur ac spondeat. Quo ve-  
 rò & Tibi, Nobiliss: vir, de meo animo  
 certò constaret, volui eius in Te amorem  
 & observantiam publico testimonio si-  
 gnificare, & eius rei gratia Oratiunculam  
 hanc nomini Tuo dicare. Feci iam pri-  
 dem Luthero nostro istam Parentationē,  
 sed eandem nondum in publicum emis-  
 cum nondum omnem Lutheri vitam atti-  
 gerim, & coeptam adversus Romanen-  
 sium calumnias telam aliquando pertexe-  
 re animum induxerim. Iam vero ut ani-  
 mum mutarem, & Natales, duasq; primas  
 annorum Lutheri decades seorsim ede-  
 rem, fecit Tuus ex nostrâ in Rostochien-  
 sem Academiam abitus, quando eum  
 Voto aliquo cohonestare me decuit, &  
 Musæ meæ ab arte Poëticâ quidem alie-  
 niores sunt, alium autem partum ob otrij  
 penuriam in præsentia edere nequive-  
 runt. Adhæc novi, N. Tuam orthodoxæ  
 & sincerioris Religionis amantissimam  
 esse, neque laudibus Magni illius Germa-  
niæ

D E D I C A T I O.

nia Vatis inuidere, (uti quidem præter pontificios & alij quamplurimi faciunt:) Ergo & hoc nomine ista Lutheri defensio sub Tuo patrocinio lucem merito aspicit. Quid dicam de Tuis in me meosque beneficijs, nec non de Illustrissimi Tui Patruj, (quem antè honoris causa nominabã,) clementissimo favore? Illa iam dudum publicas de nobis gratias & laudes merita sunt. Sed maiora eadem his decent. Interim sit hæc nuncupatio Votum fælucis abitus, & amoris atque observantiæ meæ testimonium. Nam ut solent, qui se ardentius ab alijs amari cupiunt, & frequentioreni sui apud Fautores & amicos memoriã excitare volunt, discessuris *μνημόσυνον* aliquod offerre, & mutui amoris arrham dare: Sic Tibi, Vir Nobilissime & Amicissime, hanc Oratiunculam ideo dicatam à me esse quæso cogites, ut ea de meo semper apud Te testetur amore, & Te iam discedentem arrhabonis instar cum amicissimo hoc voto comitetur.

*O Bothmare animi pars iucundissima nostri,  
 Qui flos Nobilium, qui decus Aonidum es:  
 Tu iam Leucoreos studio properante penates  
 Linquens, Varnaidum docta Roseta petis.*

A 5

Ito

DEDICATIO.

*Ito bonis avibus, cum te sacer evocet ardor,*

*Et tibi sit varios cura videre viros.*

*His Vale: Tu memor eternum bene vivito nostri.*


*Et Tuus, hanc vitam dum trabo, semper ero.*  
Dab. Vitebergæ, Anno 1599. Cal. Octo-  
bris.

**Nobil. Tuam**

**officiosissime amans**

**M. Martinus Hil-  
vvigius.**

**ORA-**



# ORATIO

De Natalibus, Educatione  
Adolescentiâ & primâ Iuventute

Reverendi Patris D. MARTINI LUTHERI

adversum mendaces Pontificios habita.



*Lectum illud Dei organon, sociorumq; Christi choragus, D. Apostolus Paulus, volens miseram & senescentem huius seculi Ecclesiam de infero mani & <sup>crudeli</sup> truculento gregis Christiani vastatore, Antichristo nimirum, monere; hinc eum in alterâ ad Thessalonicenses Epistolâ notis ad vivum colorat & pingit: Tunc revelabitur ille iniquus, cuius adventus est secundum operationem Satane, in omni virtute, & signis, & prodigijs Mendacibus.*

*Falsitatem & mendacium germanam Antichristi notam esse asserit is, quem ob insignem patefactionem & ad inaccessam beato-*

*2. Th. 2. 9.*

*ad quoniam potest accedi*

## Parentatio

beatorum sedem raptum, à cancellis Christi merito dixeris. Dispicite ergo mecum, Magnifice Dn. Rector, Generosi Dn. Barones, Patres Reverendi, Viri Clarissimi, Excellentissimi, Doctissimi, & Vos nobilissima atq; lectissima huius Coronæ Iuvenes, dispicite inquam mecum in amplo hoc mundi theatro, quis hâc insignitus notâ, & hoc colore tinctus lucem aspiciat, ubi locorum iniquus ille Mendaciorum Architectus degat: (Haud enim quisquam præter emote mentis homines amplius addubitabit, hunc ipsum annorum millenarium, quem nostra ætas clausura est, ultimam tum Antichristi tum mundi metam & terminos esse.) Quid si Prasulis Romani frontem & faciem oculis vestris exhibeam? annon lupum in fabula esse unanimes voce acclamaretis? Vtiq; suffragari mihi videtur Magnificentia Tua, Rector venerande; astipulari videntur Generosi Dn. Barones, calculos suos sententiæ meæ addere arbitror Reverendos, Consultissimos,  
Cla-

## Luthero facta.

Clarissimos & Humanissimos Reip. nostre Patres: Tuum quoque animum, ô dulcissima Iuvenum series, à me alienum non esse, vultus serenus indicio est. Profectò ( crede mihi quisquis es ) res haud aliter, quàm dixi, se habet. Tàm enim apertè sancta illa ( si diis placet ) Romanae Ecclesiae societas magis quam efferà suà mentiendi libidine animum Christo adversum prodidit, ut si Romanensem dixeris, amplius nihil restet, quin mendacem, quin Antichristum dixeris. Norunt id quotquot vel pagellam in erroneis & mendacijs tumentibus Pontificiorũ scriptis aspexere. Proh Deum immortalem, quot fabularum plaustra, quantas mendaciorum strues illic reperias? Mitto nunc fabulas Monachorum aniles, quas ignaviam & socordiam otiosorum ventrum in monasterijs quondam peperisse, etiamnum ipsi Romanenses haud inficias eunt. Silentio quoque involvam horrenda illa mendaciorum monstra, quibus nullum non fidei caput nefariè depravarunt,

## Parentatio

varunt, & ipsa Prophetarum atq; Apostolorum oracula (heu dirum, & indignum Apostolicâ sede) corruperunt. Hæc inquam omnia, quæ vel sola Episcopos Constantini donationem iactitantes dicto Antichristi nomine incusant, lubens taceo; cum ad illorum enarrationem nostrum omnium, quotquot adsumus, latera & spiritus vix ac ne vix quidem sufficiant. Verum illud saltem impudens & prodigiosum omnino figmentum, cuius hodierna nos dies admonet, in presentia proferre placet, quò in re omnibus (huic tamen cū primis almae ac literatae Saxonum ditioni) notissimâ fides Romanensium, etiam Sinoniâ peior, falsitatis suæ manifestè convincatur. Quodnam illud sit, attentè à me expectari video: Brevis eloquar.

Aspicimus rursus lucem primam anni 113. qui ab ortu Reverendi, Venerandi & Divi nostri Patris Lutheri vertitur. Eius viri sanctissimi Genus, primamq; Originem cum non solum Viteberga



Luthero facta

berga optimè norit, sed & integra Ele-  
ctoralis Saxonia provinciæ memori men-  
te teneat; quinimo cum ad omnes Ger-  
mania populos, & cunctas Romani Impe-  
rij gentes Islebiæ fama pertigerit: nemo  
unquam antehac in mentem sibi venire  
passus est, fore ut aliquando de Divi Lu-  
theri Patriâ vel Genitoribus ambigere-  
tur. Citius cœli ruinam metuisses. Atta-  
men Pontificij ( quorû audacia quid non  
designat? ) id quoq; superioribus annis at-  
tentare non sunt veriti: Quid dico eos  
attentasse? qui de ortu summi illius & per  
orbem terrarum celeberrimi Viri prodi-  
giosa & horrenda effingere, efficta in lu-  
cem edere, & scriptis quidem Chronolo-  
gicis ( quæ maximam requirunt scripto-  
ris fidem, ) inserere ausi sunt? Annon  
hoc pacto ipsa impugnatur & evertitur  
rerum veritas, quam Philosophi etiam  
Ethnici ut sanctam nos colere iubent?  
Quid ergo Romanenses de ortu postremi  
Elie cõminiscuntur? Martinum Luthe-  
rum ex Parente non homine, sed Incubo,  
&

## Parentatio

*Cilbertus*  
& matre Veneticâ, Viteberge natum esse  
calumniosè in Chronologia sua mentitur  
Professor quidam Parisiensis, Benedictus  
Genebrardus, et cum eo Cochleus in Chro-  
nologia sua. O perfrictæ fontis homines,  
& Chronologos mendaces: O anilia,  
ventosa, propudiosa mendacia, quæ vel  
tactu deprehenderes. Sed & Episcopos  
Sedi Romane addictos figmenti huius ad-  
eo non pudet, ut si quando Vulgus à Lu-  
theri doctrina deterrere, nostrâq; religi-  
onem impugnare velint, in publicis ser-  
monibus hac anili fabula in Magni Do-  
ctoris Lutheri genus debachentur. Dia-  
bolus, inquiunt habitu & forma Mer-  
catoris aut artificis gemmarij Vi-  
tebergam quondam venit, ibidem  
apud Civem hospitio ut excipere-  
tur rogans, eò quòd merces suas  
pretiosas communibus hospitij  
credere minus auderet. Cæterum  
ubi hospitis filiam in amplexus mu-  
neribus, blanditijs, alijsq; Volupta-  
tum irritamentis pellexisset, eius  
tandem

Luthero facta.

tandem concubitu potitus brevi e-  
vanuit, nec postea apparuit usquã.  
Puellæ indies magis magisq; uterus  
intumuit, quæ enixura tam hor-  
renda raraq; edebat indicia, ut fœ-  
tum non legitimè concæptum esse  
argumentis minimè oblcuris præ-  
sumeretur. Puer adolescens exi-  
guo tempore tantùm in scholis pro-  
movit, ut suos coætaneos & com-  
miliones facile vinceret, vitæ ta-  
men ratione limulatâ Inde ex Pa-  
tris instinctu factus Monachus, ab-  
iectâ rursus cucullâ vim religiosæ  
Virgini intulit. *Hæc Iohannes VVierus  
ex concione Episcopi famosi cuiusdam op-  
pidi, lib. 3. de Lamys insionito refert.*  
Crassa vanæ mendacia linguæ, in  
quæ optimè illud Quintil: quadrat, di-  
centis: *Quidam cū nullū crimē obiscere  
possunt, de mendaciij magnitudine veri-  
tatem captant; Illud itidem Ciceronis:  
Ementiuntur sepè homines in eos, quos  
oderunt. Arbitror, omnium vestrum*

B

animos

## Parentatio

animos gravissimâ hâc calumniâ exacer-  
batos esse. Quid ergo, num ridebimus  
hostium nostrorum fabulas & effictas  
nugas, cum ipsa res aliud loquatur, me-  
moria hominum obstet, & lippis etiam  
in toto Christianorum orbe genus viri  
illius Dei (Lutherum volo) haud obscu-  
rè innotuerit? Sic equidem. Rideant  
Romanensium Chronologos quicumq; du-  
catum Mansfeldensem & Islebiam po-  
stremum Germaniae Vatem nobis genuis-  
se norunt, & Mercatorem illum incu-  
bum à nemine hominû visum ignorant.  
Rideat eos maiorum nostrorum etas,  
quæ aliter ortum Lutheri memorie pro-  
ditum nobis reliquit. Explodat illos no-  
biscum ventura posteritas, apud quam  
sarta tectaq; semper durabit Lutheri au-  
thoritas, grataq; manebit Islebie memo-  
ria. Sed illud mihi nunc mentem subit,  
non absq; omni ratione à quodam pro-  
nunciatum esse: Audacter calumniân-  
dum, semper aliquid hæere: Sapienter  
quoq; monere Menandrum, dum inquit:

Non

## Luthero facta.

Non est contemnenda calumnia, etiamsi  
prorsus fuerit falsa: Aliqui enim ipsam  
extollere norunt. Quare non abs re factu-  
rum me spero, si reliquo, quod nobis re-  
stat, tempore, ad retundendam ranci-  
dam Mendacis Antichristi fabellam,  
(quam modo attentis hausistis auribus,)   
Ortus, Pueritiae Adolescentiae, & primae  
Iuventutis Reverendi nostri Patris gesta  
ex Annalibus maiorum referam: cum  
imprimis Spectatissima huius coronae vul-  
tus haud invitam mihi spondeat benevo-  
lentiam, & verborum meorum tenui-  
tatem nominis communitas cum Magno  
illo Viro, (qua me negotium praesens ag-  
gredi iussit,) apud bonos excusatura sit.  
Quaenam à Chronologo vel historiographo  
requirantur, neminem adesse puto qui  
ignoret: Sufficiat hic allegasse censuram  
de historicis Tullianam, quae sic habet:  
Quis nescit, primam legem histo-  
riae esse, ne quid falsi dicere aude-  
at, deinde ne quid veri non aude-  
at, ne qua suspicio gratiae sit in scri-  
bendo, ne qua simultatis.

## Parentatio

respice Papicola Parisiensis, Genebrarde,  
quàm bellè hæc in tuâ assecutus sis Chrono-  
logiâ; quàm initio non falsum dicas;  
tum quàm verè: Imo quàm falsa referas,  
cum falsi te nihil decebat, & quàm pro-  
tervè vera linguas. Quomodo quæso ma-  
nifestam nõ dico similitatis, sed Hostilita-  
tis suspicionem apud Lectorem evitabis,  
dum falsò Lutherum ex Incubo natum  
esse literarũ monumentis propagas, et ve-  
ram eiusdem originem pernezas? Anne  
hoc pacto in Annales à te confictos qua-  
drabit illud historiarum elogium, quod  
apud eundem Romana eloquentiæ Paren-  
tem habetur: Historiam esse testem tem-  
porum, lucem veritatis, vitam memo-  
ria, Magistram vitæ, nunciam Vetusta-  
tis? Nuncia posteritati erit tua Chrono-  
logia mendaciorum, testis iniquitatis,  
memoria fabularum, & magistra calu-  
mniarum. Verum mentiaris quousq; ve-  
lis, illud experientiâ edocti certò persua-  
sum habemus, idem cum tuâ actũ prope-  
diem iri calumniâ, quod de omnibus  
menda-

## Luthero facta.

mendacijs iam dudum pronunciauit Sophocles: Nullum eorum inveterascere. Emorieris mehercule cum audacissimo tuo figmento, etiam omnibus nobis tacentibus. Loquentur pro Luthero annales Germanorum cuncti, & indubitata Principum Electorumque archiva: Genus eius laudibus debitis VViteberga effert, quoad parietes hi sonorâ illius voce quàm sepius percussi constabunt. Testabitur legitimum heroici & Divi Lutheri Ortum celebris nunc Mansfeldensium vrbs Islebia, quæ anno supra millesimū quadringentesimum octuogesimo tertio Germaniâ magno illo Vate, DEO sic dispiciente, detavit, è sociali thoro Iohannis Lutheri, Viri patricij, & honestissimæ eiusdem Coniugis Margarethæ. Islebiam dico nobis produxisse deâvdge illum, non VVitebergam; genitumque Lutherum à Patre homine, eoque opifice, non demone Incubo aut Institore. Sic enim superioris seculi homines memoria nostra prodiderunt, sic maiores nostri pro-

## Parentatio

bata fidei, qui αὐτόπτοι & σύγχρονοι μά-  
gni illius Doctoris fuere, scriptum reli-  
querunt. Addo quod relationi ipsorum  
(de qua tamen nemo ante Cochleum li-  
tem nobis movit,) fidem mirè conciliat  
tam accurata & diligens temporis lociq;  
notatio. Unde enim fieri consuevit, ut  
hodierna die Beati Lutheri memoria a-  
pud repurgatas Ecclesias quotannis reco-  
leretur? Quia Genesin eiusdem in vi-  
giliam huius diei, vel in hesterna lucis  
horã pomeridianam undecimã, unanimes  
Chronologorum consensus refert. Vident  
ergo Pontificij, eam, quam modò retuli,  
Lutheri originem solenni tot annorum  
ritu probatam & comprobatã esse; suis  
verò figmentum vel loci errore, vel tem-  
poris ignoratione cõcidere. Essent & alia  
quamplurima, quorum rationem meritò  
à mendace illo Chronologo in presentia  
exigeremus, nisi temporis curam habere  
animum induxissem. Quid si digito ea  
notaremus? Non puto adeo id fore mo-  
lestum. Prodi queso Genebrarde, ò ho-  
mo ve-



Luthero facta.

mo verax, & false tue assertionis patro-  
cinium suscipe: Si placet, asciscas tibi  
parastatam ipsum Cochlaeum. Puellane  
ex Incubo gravida Lutherum in hac ur-  
be enixa est? Sic ais. Esto. Sed dicas  
rogo, anne publicè id rescitum? Ita in-  
quies: Quid ergo obstabat, quò minus  
Satana illud scortum in jus vocaretur,  
& sententiâ dictâ igni exureretur? An  
sum fori iudicium pro flagitio non habe-  
bat, scortari cum Demone? Haud puto.  
Præterea, anne vestrae partis Sacerdo-  
tes tam iniqui erant divinorum thesau-  
rorum administratores, ut diaboli φά-  
σμα sacro Baptismatis lavacro tinge-  
rent, & pio Martini nomine vocita-  
rent? (Quod si nossem, non dubitârim  
hâc ipsâ luce meum immutare nomen.)  
Hic quò elabaris non habes. Dicas  
ergo id clam esse habitum? Næ, simi-  
les incidis in laqueos. Si Magistratum  
hujus Urbis, Ministros hujus Eccle-  
siae, & cives hujus Reipublice factum

## Parentatio

ad latuit, qui ergo ad tuas pervenit aures, qui Parisijs latitas? Fortè in agone Venefica illa te ( nondum quidem progenitum ) incantamentis tamen suis penitentiarium constituit, tibiq; in aurem iam iam moritura dixit? O mendacem immemorem: De his te iure compellari non inficias ire potes, & tamen ne minimũ illorum in scripto tuo precavisti: Pessimè præterea functus officio historici, qui rebus gestis, & Originibus imprimis, haud rarò τὰ ἐπόμενα subiungere solent.

Pluribus calumniam tuam ad normas Chronologicas examinare me pudet, cum eius falsitas luce meridiana sit manifestior, & magis etiam ex ipso Vitæ cursu Summi Germaniæ Vatis evincatur. Hunc ergo aggredimur, quòd illud quoq; evanescat mendacium, cuius in lepida illâ à me recitata Romanensium fabellâ mentio fit: Lutherum nimirum parumper literis operam dantem subito in virum doctum evasisse, eò quòd  
Vitæ

Luthero facta.

Vitæ rationem tantum simularet.  
Initium vitæ Lutheri vix quatuor &  
decem horis eiusdem salutis principium  
anteceffit. Natus enim sub Vigiliam S.  
Martini, luce proximè succedente rege-  
nerationis aquâ Islebia Christo initia-  
tur, & Martini insignitur nomine; Idq;  
piâ Genitorum curâ. Falsum ergo id  
quoq; Parentem Lutheri, quamprimum  
hospitis sui filiam imprægnasset, disparu-  
isse; Et siquidem id indubitato verû est,  
Luthero Parentis sui Iohannis operâ ini-  
tiationis Sacramentum contigisse, veri-  
simile quoq; est, Iohannem illum incubû  
haud fuisse. Quid enim commercij Sa-  
tanæ cum Christo? Et hæc quidem de  
primo Lutheri anno annotata legimus,  
quæ præter Summi illius Viri, de quo nunc  
verba facimus, ortum Martyrium insu-  
per Hieronymi Savanorola, Florentiæ ex-  
usti, nobilitavit: eius inquam, cuius Epi-  
tome Philosophica pridem haud indignè  
lucem rursus aspexit. Quamprimum  
autem eos, quos nutritionis non incom-

## Parentatio

modè vocant, annos Lutherus superasset, haud amplius delicatulum instar puerorum domi in sinu materno desidet, sed arrepto libello scholam inuisit, eamq̃ cum assidue ad annum usque pubertatis frequentaret, initia lingue latinae, nec non religionis capita Catechetica addiscit. E scholâ patriâ Magdeburgum per Iohannem Reineccium mittitur, ob rei ibidem literariae celebritatem, quâ etiamnum Vrbs illa viget. Patriam linquit anno etatis dccimoquarto, & peregrinas cogitur adire oras egenus & inops sumptuum, quos literarum studium flagitat. Parentes namq̃ eius tum tristi adhuc premebantur pauperie, ut ære filium abiturum instruere non possent. Attamen nil morabatur Lutherus durissimum paupertatis onus, nec se eo à studijs deterreri patiebatur. Paupertati Timiditatem inesse, inquit Euripides: At Luthero Magdeburgum eun-  
ti quis confidentior, quis hilarior aut a-  
lacrior

Luthero facta.

Lacrior fuit? Non metuit insanam ven-  
tris rabiem, nec quicquam eum anhe-  
la & aspera sitis terruit, sed DEO sui  
alimentationem credidit. Studijs quàm  
diligentissimè operam dabat, & si quan-  
do fame agebatur, concham & fabam  
estiatim petebat, sitim gelidâ lymphâ  
pellebat. O duram magni Germaniæ  
luminis Adolescentiam. Cedant huic  
Crates & Diogenes, quos hæud parum  
hactenus laudarunt docti, quod facile  
in paupertate egerint, alacres letiq;  
existentes etiam mendicando, & fru-  
gali parcoq; victu contenti. Hic, hic,  
inquam, noster Adolescens verè Pau-  
pertatis trophæum Magdeburgi statuit.  
Nec multum dissimilis Eum post for-  
tuna mansit, cum inde Fsenacum pro-  
ficisceretur, egestatis suæ subsidium ex  
Avunculis & Materterâ sperans. Co-  
gitur illic experiri, quam verè Menan-  
der in Adelphis dixerit:

Difficile

## Parentatio

Difficile fuerit invenisse Pauperi cognatum,  
(tum,

Nullus enim fatetur ad se pertinere

illum, auxilio qui egeat aliquo,

Nimirum statim aliquid à se postulandum  
(metuens.

*Victum ergo ibi quoque ostiatim propter Deum rogat, donec ob insignem modestiam & pietatem à Viduâ quâdam liberali mensâ exciperetur. Interim domi quoque paternæ fortuna melior aspirat, dum opella Parentum incrementa sumere incipiunt. Hi iniquum statim putant, ea, quæ divina illis concesserat benedictio, cum gnato tam morigero & tam sedulo in studijs non communicare: Iuvanda idcirco putant studia eius pro viribus, & annum iam agentem duodevigesimum suis sumtibus in Academiam Erfordianam ire iubent. Quis tum Luthero gnavior & solertior? Studijs initio Philosophicis matutinus & vespertinus incumbibat, præcepta Scotistica & Thomistica Sapientie (quæ magni tum habebatur) assiduâ manuolvebat: Inde*

Bacco-

## Luthero facta.

Baccolauri titulo decoratus ad tempus  
Sacrarum legum studio haud ignavam  
operam dabat. Si quando illi proprijs  
non sufficere libri, publicam non grava-  
tus est adire bibliothecam. Advertite  
quæso Patres Amplissimi, aures arrigite  
Viri Iuvenes lectissimi, cum in bibliote-  
cæ Erfordianæ mentionem inciderim.  
Hæc ignotum plerisque tum temporis Sa-  
crarum literarum codicem primum Lu-  
thero nostro ad manus porrexit, in hæc  
primum bibliorum apicem sanctissimi il-  
lius Viri oculi aspexere; qui lectâ origine  
Samuelis in hæc erupit verba: Ach lieber  
Gott / beschere mir doch einmahl solch  
ein Buch. Vox me hercle pia, & votum  
Christiano homine maximè dignum. Et  
hisce quidem omni virtutum genere pol-  
lentem Lutheri Adolescentiam Annales  
vetustatis prosequuntur.

Iuvenem Lutherus qualemnam egit?  
Iuventus eius tristis initio & afflictâ  
perhibetur. Corripitur enim industrius  
& strenuus Academia Erfordianæ civis  
morbo

## Parentatio

morbo perquam gravi & difficili, (ut  
plerumq; in annis, per quos climacteri-  
cus vel Scalaris colligitur, fieri solet;) &  
illa egritudine adeo affligitur, ut de Vi-  
tâ ipsemet dubitaret. Ibi tum invisi-  
tur à Sacellano quodam Seniore, qui  
ipsum dictis illis pulcherrimis, quæ à piâ  
orthodoxâ Vetustate congesta, atq; Hor-  
tulus Animæ vocitata sunt, consolabatur.  
(Vix me contineo, quin hoc loco referam  
novissimam Pientissimi cuiusdam Iuvenis,  
qui nunc est in exilio, verba de dicto  
libello ad Lutheri usque tempora divi-  
nâ ope conservato: Sed vereor ne lu-  
ctum moveam, & oculos vix tersos rur-  
sum madere faciam;) Ad Sacellanum re-  
deo. Is abiturus hisce Lutherum præ-  
sacâ mente compellabat: **Bono animo**  
**esto, mi Baccolaurie, non morieris:**  
**DEVS in Virum excellentem te**  
**evadere sinet, ut multos alios vi-**  
**cissim consolari queas. Vaticini-**  
**um haud mendax: cum quo non obscu-**  
**rè faciunt Bohemi illius Martyris, Io-**  
**hannis**



## Luthero facta.

*Johannis Husi, ut & Johannis Hilteni  
Monachi Isenacensis, de eodem Luthero  
predictiones: quas utpote in trivys de-  
cantatas silentio praterire temporis ra-  
tio me iubet. Aeger Lutherus pri-  
stinae sanitati restituitur, & altero su-  
pra vigesimum aetatis anno summum in  
Philosophia gradum consequitur, digna  
eximia suae diligentiae praemia ferens.*

*Fam si enumerata Mart. Lutheri In-  
fantiae, Adolescentiae & Iuventutis gesta  
accuratius perpendamus, multa sese of-  
ferent, quae & nobis & Romanensibus  
fidem facere queant, Lutherum vitera-  
tionem, ut illi mentiuntur & calumni-  
antur, minime simulasse. Nam crede-  
resne φάντασμα aliquod tantum sibi  
sumere, ut baptisimi aquam abluendum sese  
offerret, & mysterijs divinis illuderet?  
Haec non arbitror. Et si vel maxime Diabolum  
pudor non prohiberet audax illud facinora  
attentare, (propudiosus n. est Spiritus.)  
metu*

## Parentatio

metu tamen à sacris se prohiberi ipse nos aliquot subditiorum puerorum exemplis edocuit, qui vel precibus vel idololatrigo etiam ritu enecati & fugati sunt. Unicum in presentiâ referam, maximè festivum. Halberstadij quondam Dæmonum aliquem Supposititij partes egisse legimus, idq; haud sine hominũ noxâ & dispendio: Tanta enim erat Voracitatis & libacitatis, (si rem monstrosã monstroso vocare nomine latinitas non prohibet,) ut non solũ Matris, sed quinq; insuper Nutricum ubera distortis suis labris brevi ebiberet, panes innumeros præterea deglutiret, nec tamen unquam omnem famem compesceret. Puerum Vobis, Auditores attentissimi, narro famelicum. Quid de eo tandem fit? Parens, homo plebeie sortis, à vicinis suis, quos ea de re consuluerat, iubetur puerum itineri ad Divam Virginem, quæ tum à papatu Idololatrigo Hockelstadij religiosè colebatur, fovere, atq; cunis ibidem sacris dicare: Consilium illud acceptans

Luthero facta.

ptans iter adornat, & tenellum illum  
Bibonem calatho ingestum humeris suis  
imponit: Ubi dierum aliquot itinere  
ventum esset ad flumen quoddam, & mi-  
ser ille supposititio onustus demone pontem  
calcaret, aliud in aquis maleferiatum la-  
titat Satanae monstrum, quod ex Orco  
in idmissum erat, ut socium eum, qui ad  
Divam gestabatur Virginem, a religioso  
itinere redire iuberet. Horrendam idcir-  
co voce ex aquis Eum acclamat; Kil-  
fropff / Kilkropff. (Sic enim Saxones  
Subdititios vocitare consueverunt.) Sup-  
posititius e calatho respondet; Ho, ho. In-  
stat alter quarendo; Quò tendis mi bone  
Kilkropff? Cui edax ille, qui domi ne-  
gry fari poterat: Ich wil gen Hockel-  
stet / zu vnser lieben Frawen / vnd mich  
lassen wiegen / Das ich möge gedyen.  
Attonitus ad haec Parens exuta omni  
sogry lepidum suum puellulum unam cum  
calatho de ponte iratus deicit, quem Sty-  
gius ille nuncius excipit, et magno cachin-  
no ad tartara reducit. Quod si ergo  
C                      diabolus

## Parentatio

diabolus idolorum phana, & Divæ Vir-  
ginis cunas adire exhorruit, quanto ma-  
gis sacratissimum Dei fœdus, Baptismum  
dico, metuet, exhorrebit, & refugiet?  
Præterea, quis demonum tam vesanæ  
mentis esset, ut crucem cruci adderet, &  
cum iam dudum nulli non miseriarum sit  
addictus, paupertatis insuper onus in se  
reciperet, esuriret, sitiret, frigeret, sti-  
pem queribundus rogaret, & vigilijs se-  
se maceraret? Adhæc innata insolentia  
et fastus ingenitus Satanam prohibu-  
isset, quò minus se Scholastico Baccolau-  
rei nomine vocitari pateretur. Nec  
adeo torpere & oscitare eundem in ne-  
quissimâ hâc mundi senectâ credamus, ut  
lecto affixus menses aliquot corporis lan-  
guorem simularet: Graviores habet, quæ  
peragat; Excogitandæ illi sunt technæ  
ad perdendam hominum Salutem, sin-  
gendi sunt errores, fabricanda scandala,  
struenda Ecclesiæ persecutio, incitandus  
in pernitiem Germaniæ Gog & Magog,  
impugnanda Maiestas & præsentia Car-  
nis

## Luthero facta.

nis Christi, atq; innumera alia flagitia  
perpetranda. Vnicum ubi adiecero, sat ca-  
lumnia propudiosa papicolarū responsum  
putabo: Nefas profecto mihi videtur  
existimare, dignum unquam fuisse mon-  
strum Tartarum, ut in solenni Acade-  
mia Christiana renunciatione honoribus  
in Philosophia Doctoreis ornaretur, &  
magno Magistri titulo insigniretur. Ces-  
sate quæso Romanenses cum ratione insa-  
nere, cessate impudentē perfricare fron-  
tem: Pudeat te, Genebrarde vanilo-  
que, nugarum, mendaciorum & calumni-  
arum tuarum tam propudiosarum: De-  
sine calumniari Virum eum, quem nec tu  
nec ònes tuæ farina homines pro dignita-  
te laudare valent. Progressi sumus nostrâ  
narratione ad annum Divi Lutheri vi-  
gesimum secundū, in quo & subsistendum  
nobis videtur, ne vultum Auditorij hu-  
ius spectatissimi hucusq; benevolum lon-  
gior oratio immutet, aut me, si meorum  
annorum numerum cum Luthero exce-  
dam, vires fortè deficiant. Reliquam

## Parentatio

Tamen Germaniæ Parentis Vitæ histori-  
am tribus eloquar verbis: Sicut bo-  
nus histrio benè prologum, benè medi-  
um fabule, nec non benè Catastrophem  
agit; Ita Lutherus primordia Vitæ re-  
ctè, & media probè ac laudabiliter, se-  
nectam verò optimè transegit: Verèq;  
fuit Angelus ille, quem Iohannes Apo-  
calyp: 14. introducit, cum ait: Vidisse  
se Angelum volantem per medium  
Cœlum, qui æternum Evangelium  
è densissimis ignorantia tenebris in  
apertissimam rursus lucem pro-  
tulerit. Quis namq; Evangelium de  
gratuitâ nostri Iustificacione è nebulis  
plusquam Aegyptiacis in clarissimam di-  
em solemq; hunc, quem animi oculis ho-  
die Germania intuetur, vindicavit?  
Lutherus. Lutherus noster ille est, de  
quo porrò Iohannes prophético Spiritu  
predixit, quod omnibus Gentibus, tribu-  
bus & populis hanc in sententiam conci-  
onaturus sit: Timete Dominum, & da-  
te illi honorem, quia venit hora iudicij  
eius,

Luthero facta.

eius, & adorate eum, qui fecit cælum &  
terram, mare & omnia que in eis sunt.  
Lutherus deniq; is est, qui sonorâ Con-  
cionum scriptorumq; suorum buccinâ eo-  
dem Apocal: capite concinit, & excla-  
mat: Cecidit, Cecidit, Babylon illa ma-  
gna, que à vino ire fornicationis  
sue potavit omnes  
Gentes.

D I X I

Errata.

~~A 8. f. b. l. 3. lege Gilbertus Genebr:~~  
~~Et ibidem l. 4. legit Cochlaus.~~

C 3 Pro

INTIMATIO,

*Programma, quo Parentatio  
ista Academia Civibus  
significabatur.*

DECANVS FA-  
CVLTATIS THEOLO-  
gicæ bonarum literarum Studiofis  
S. P. D.

**D**OPVLO suo DEUS  
mandavit, ut benefi-  
cia olim sibi in libe-  
ratione è servitute Ægyptiacâ  
per Prophetam illum DEI,  
Moyfen, præstita fideliter in  
memoriâ reponerent, & omni  
curâ atq; studio ad posteritatē  
transmitterent. Cum autem  
æternus ille & clementissim9  
Pater



I N T I M A T I O .

Pater cœlestis nobis in Ger-  
 mania per Virum Reverendū  
 ac Clarissimum, Dn. D. MAR-  
 T I N U M L V T H E R V M, non  
 minora beneficia præstiterit ;  
 utpote cuius Ministerio nos è  
 tenebris longè horridioribus  
 & tristioribus, quã Ægyptia-  
 cæ fuerunt, è carnificinà con-  
 scientiarum multò crudelio-  
 re, quàm illa fuit, in quâ Iu-  
 dæi quoad corpora & faculta-  
 tes suas excruciabantur, edu-  
 xit, desertâq; spirituali Ægy-  
 pto & Babylone in amænissi-  
 mos veræ Catholicæ Ecclesiæ  
 hortos introduxit, & unicam

C 4 ad

INTIMATIO.

ad cœlestem patriam viam in  
 Christo ostendit ac aperuit.  
 Æquum proinde ac iustū est,  
 ut ingentis istius divini operis  
 memoriã subinde repetamus,  
 Deoq̃ pro salutari hoc Orga-  
 no Spiritus S., *Mart: Luthe-*  
*ro*, gratias agamus. Ac cum  
 dies Martini, quæ in XI. diem  
 huius Mensis incidit, eã de re  
 nos admoneat, & in nonnullis  
 etiam benè constitutis Eccle-  
 sijs eo ipso die Conciones ad  
 populum de *D. Martino Lu-*  
*thero* institui soleant; ideo  
 collegio Theologico placuit,  
 ut *M. Martinus Hiluwigius,*  
*Boles-*

INTIMATIO.

*Boleslaviensis Silesius*, in Auditorio maiori ad dictum diem horâ ix. *Luthero nostro* Parentationem faceret, & Orationē de Natalibus, Educatione & primâ Iuventute Magni illius Viri à se conscriptam publicè recitaret. Ad eam proinde recitationem ut Cives huius Academiae frequentes conveniant, hortamur & rogamus.

P. P. VIII. Novem.

Anno 1596.

C 5

Amico.

Amicorum πρὸς φωνίσεα  
AD M. MARTINUM  
HILVIGIUM, MARTINO  
LUTHERO adversum Romanenses  
parentantem.

**R**eciproco calumniam si dixerim  
Similem esse telo, haud dixerim, credo, male.  
Namq; hoc reciproco velut motu salit,  
Ferturq; retrò, si quid obtendas rei  
Solidæ, nec illum, quem petebat, saucium  
Facit, sed, à quo missum, eundem vulnerat:  
Sic Veritas si se obijcit calumniæ  
Reciproca illa innoxium non vulnerat,  
Sed proprio transfodit auctorem malis  
Telo, multumq; pessimè perdit virum.  
Sententiarum testis es notissimus,  
Optime, mearum, Amice; qui postquam obijcis  
Mendacis, & turpibus calumnijs,  
Quas de Luthero pessimi Viri bono  
Sparsère, Veritatis invictum & misans  
Scutum: irritos ictus repellis, & facis  
Lutheri ut hostes proprio telo cadant.

M. Daniel Sennert,  
Vratislaviensis Sil.

ALIA

## A L I A.

**E** Vge benè. Aspexit iam tandem oratio lucem,  
Quam nostri HILVVIGII Suada diserta  
dedit.

Multa P A P A esse clæ fingunt sine fronte, sine ore,  
Ut labem aspergant Sancte LUTHERE tibi,  
Sed benè habet: Sunt qui mendacia vana refellant,  
Adq̃ oculum ostendant crimina falsidicū:  
Vel Iuvenes adeo, Baldvinus & Hilvvigus a  
Isocratis Peithô hic, ille Periclis habens. (cer.)  
Vane SUIA suas figmenta, Satane docente,  
Biga hæc (dante D E O) dissuet illa tibi.  
Nec tantum illa; sed & speciosa sophismata pandet,  
Quis fidei articulos collutulare studes.

Macti estote animis, genij ingenijq̃ potentes.  
Et culti Iuvenes, ô Chariton oculi:  
Quos mihi dilectos fraterno more sodales  
Non fors, non homines, sed D E U S ipse dedit.  
Sic sic pergite, Bella D E I pugnate: corona  
E fronde eternâ tempora vestra manet.

M. Laurent. VVagener,  
Dipoldisilvanus.

A L I A

## ALIA.

**O** LUTHERE ; Tibin' ephialten esse parentem !  
Inq' meretrici Te latuisse sanu!

Cedite Theologi, verum est ; quid aperta negatis ?  
Multaq' confertâ cuditis arma manu ?

Verum est ; non errat Romanus Papa : quid  
erret ?

Mentitur : nequit hic error habere locum.  
Valde fefellistis nostros : agnoscite culpam :

Dicite : non errat Papa ; quid erret enim ?

Mentitur, qui errare nequit ; qui splendida  
suntis

Mendacij vendit plaustra, supercilijs.

At vulgus credit Papæ ; huic Ecclesia credit :

Hoc populus curat scilicet : este boni.

Vos quia corrucas alitis, vestrosq' cuculos.

Inq' peregrinis nidificatis agris :

Nos etiam Stygios optatis habere parentes,

Et sobolem similem creditis esse patri ?

Vipera decocto lauri dirumpitur : ecquâ

Hoc quoq' vipereum rumpitur arte genus ?

**Hoc, MARTINE, doces ausis felicibus : buc buc**

Stringite, Papicolæ, si pote, tela, patres.

Non minor est virtus, mendacia publicâ strictim

Solvere, quàm, nullo, vera, negante, loqui.

**M. Fridericus Balduinus,  
Dresdensis.**

**ALIA**

## A L I A.

**E**ia age, quem nunquam stravisti fulmine Verbi,  
Periuri victum fraude Sinonis age:

In decus, in nomen Magni, malè sana, Lutheri  
Evome turba, atrox, eia age, si quid habes.

Nūquid habes? at habere putas, habuisse quod usq;  
Cana fides, pietas quò tacet usq;, sat est.

En tibi Lutheri cunas, vitamq; Inventæ  
Parva piæ magnâ pagina luce dedit:

Relligione, fide, serie veriç tenaci  
Confundit vultus ut rubor inde tuos.

Sic sua firma manet Lutheri gloria; mendax  
Os perit, & Papæ didit a fama cadit.

Quid? cape: De Papa narratur fabula; sed  
Fabula? quin res est, relligiosa fides. (quid

Mercator Stygius, Satanas, quando undiq; terras  
Certas hîc sedes, hîc habiturus obijt:

Ecce ubi magnificam cupidus devenit ad urbem,  
Est A M O R hîc, inquit, spesq; locare domum.

Nec mora, nec requies, subit alta palatia regni,  
De merce inferni vendere quicquid erat.

Ipsius in thalamos formosa Semiramis æstu  
Cæca ruit; furias dira libido rapit.

Postea quem dederat partu Babylonia pellex,  
Filius æternæ perditionis erat.

O hominis monstrum! meretricis dira propago!  
Cui Stygius pater est, incubus ipse Draco!

O Matrem

O Matrem! misso sponso, quam caeca libido  
Corpus agit nigro supposuisse proco!  
Hæc est, Christiada, proles truculenta Draconis,  
Ex qua perniciēs posteritatis adest.  
Sacrilega est veri mutatio nominis index,  
Et Simoniacum venditionis opus.  
Oedipe, si tibi par studium fallaxq; sagaxq;  
Dic nunc, quam sobolem suppositam esse putes?  
Sed qui signa geris Martini martia, Amice,  
Perge ita: Martini nomen & omen habes.

M. David Meznerus,  
Friburgensis.

A L I A.

ERgo Lutheriadae pergit VViteberga quotannis  
Reddere ferali debita iusta die?  
Est ita: tuq; vicem subiens non segnis eandem  
HILVVIGI, Aonidum gloria, testis ades,  
Testis ades, doctoq;, quod ausibus ille nefandis  
Pernegat Excubitor Dæmonis, ore probas.  
Vixit Lutherus, vixit: nostramq; suamq;  
Rhetbore te, causam nunc redi vivus agit.

M. Matthias Keil,  
Francoft: Siles:

A L I A.

CERTO equidem voluit Veterum pia cura quotannis  
MARTINO fieri publica sacra die.

Asb



*As* hæc dum fiunt alibi, *V*iteberga **LUTHERI**  
Commemorans recolit nomen & acta sui.  
*D*igna viris pietas: *V*ivens qui profuit illis,  
Huius nunc famam vivere in urbe volunt.  
*Sc*ilicet hoc *V*irtus & honesti flagitat ardor,  
Magnorum immemores qui vetat esse *V*irum  
*Fl*agitat & quæ nos *V*irtus benefacta Bonorum  
Et gratâ & memori mente tenere iubet.  
*Il*le suis hanc, dum vixit, *V*irtutibus *V*rbem  
Ante alias scitur demeruisse sibi.  
*H*ic docuit præsens, ex hoc oracula toti  
Christiadam genti reddidit ille adyto.  
*C*umq; prius nomen *V*iteberga teneret in orbe  
Obscurum, cæno squalida Pontificum.  
*Il*le hanc & verâ iam religionem nitentem  
Reddidit, & famâ sustulit astra super.  
*H*æc igitur grata est. Sed Tu vel es æquior istâ,  
*H*ILVVIGI, peragis dum sacra dicta *V*IRO!  
*T*u memoras ortum, patriam, patremq; **LUTHERI,**  
Et studia, & mores: Iam satis istud erat.  
*As* Tibi non satis est *V*itam memorasse *L*utheri:  
Est aliud, quod Te dignius esse putas.  
*N*am *P*apæ mala turba *V*irum mendacibus urget  
Convicijs: Hæc Te dissoluisse iuvat.  
*I*amq; exsoluisti quicquid soluisse *L*uthero,  
Et *V*irtus voluit, religioq; *P*atrum.

Adamus Peschelius,  
Bolesl: Silesius.

**F I N I S.**


79 53/10 64

**ULB Halle**  
004 972 49X

3







193. (36)

Vg  
5310

*Viro incomparabili*  
**D. MARTINO**  
 LVTHERO, IN IN-  
 clytâ VVitebergenf: Aca-  
 demiâ Anno M. D. XCVI.  
 3. Id. Novembris:

*publicè parentabat*

M. MARTINUS HIL-  
 uigijs, Boleslaviensis  
 Silefius.



**VVITEBERGÆ,**  
 Excudebat VVolfgang: Meiffnerus,  
 Anno M. D. XCIX.

*Ex dono possidet  
 hanc librum  
 Regis. D. Carolus  
 11. & D. Carolus  
 12. in vni  
 Christiani  
 Kler. patriar  
 in VViteber  
 enf. 619.  
 Rupis. plurim  
 ut off. hunc  
 B. 102. 619*